

Text 8: Weil ich ging, wurde der Staat gerettet (Sest. 49)

Haec ego et multa alia cogitans hoc videbam, si causam publicam mea mors peremisset, neminem umquam fore, qui auderet suscipere contra improbos cives salutem rei publicae; itaque non solum si vi interissem, sed etiam si morbo
5 extinctus essem, fore putabam, ut exemplum rei publicae conservandae mecum simul interiret. Quis enim umquam me a senatu populoque Romano tanto omnium bonorum studio non restituto, – quod certe, si essem interfectus, accidere non potuisset, – ullam rei publicae partem cum sua
10 minima invidia auderet attingere? Servavi igitur rem publicam discessu meo, iudices: Caedem a vobis liberisque vestris, vastitatem, incendia, rapinas meo dolore luctuque depuli, et unus rem publicam bis servavi, semel gloria, iterum aerumna mea. Neque enim in hoc me hominem esse
15 infitiabor umquam, ut me optimo fratre, carissimis liberis, fidissima coniuge, vestro conspectu, patria, hoc honoris gradu sine dolore caruisse glorier; quod si fecissem, quod a me beneficium haberetis, cum pro vobis ea, quae mihi essent vilia, reliquissem? Hoc meo quidem animo summi in
20 patriam amoris mei signum esse debet certissimum, quod, cum abesse ab ea sine summo dolore non possem, hunc me perpeti quam illam labefactari ab improbis malui.